

obligat. Non potuit LEONARDUS promittere creaturæ id quod jam Deo per votum dicaverat. *V. Comp. n. 731. S. Lig. n. 873.*

*Objiciunt aliqui*: Ille qui vovisset se templum ædificaturum, vel omnia sua bona largiturum pauperibus, si postea alios damnis, vel se alieno ære gravet, a damnis reparandis debitisque solvendis non evadet immunis, ut voto satisfaciatur. Ergo idem de voto castitatis pronuntiandum.

*R. 1° Neg. suppositum*, scilicet, quod in casu sit injuria reparanda; etenim, ut VERONICA jus aliquod acquisierit ex promissione matrimonii, debuisset illa promissio esse valida. Atqui ex dictis prorsus invalida fuit. Ergo... Quod si revera aliquod damnum consecutum sit, v. g. si proles ex fornicatione nata fuerit, alio modo, puta per pecuniam compensari potest; vel si reparari nequeat nisi per matrimonium, illud non *per se*, sed per accidens eveniet.

2° Eadem matrimonii promissio illicita etiam fuit, et proinde invalida, ex eo quod sub conditione turpi facta sit. Conditio enim turpis apposta, seu de peccato patrandi, essentialiter vitiat contractum sponsalium, ut supra diximus de sponsalibus, *Cas. 1, ad Quæst. 3<sup>m</sup>*. Ergo LEONARDUS minime tenetur ad nuptias cum VERONICA ineundas.

997. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Ratio est, quia, contrahendo matrimonium cum voto castitatis, LEONARDUS exponeretur periculo proximo violandi votum suum, vel jus compartis in usu conjugii. Sic communiter Theologi contra paucos, qui dicunt valere sponsalia non obstante voto castitatis, et proinde ruere obligationem voti, ut obligatio justitiæ serveatur. Sed ab illa sententia quam longissime recedendum est. LEONARDUS igitur ad dispensationem pontificiam recurrere debet, antequam matrimonium ineat.

998. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Matrimonium videtur invalidum. Etenim, si LEONARDUS, minis adductus, fecte consentit, simulando matrimonii celebrationem, invalidum est matrimonium, ut patet. Deficiente autem consensu, contractum etiam deficere necesse est. Si verum præstitit consensum, etiam tunc matrimonium reputandum est invalidum, utpote ex metu gravi initum. Metus enim a fratribus VERONICÆ incussus, in finem LEONARDI ad matrimonium adigendi, gravis fuit et *injustus*, saltem *quoad modum* reparationis. Secus vero si fratres puellæ minas LEONARDO intendant non quidem intuitu matrimonii, sed ratione injuriæ ulciscendæ, et hic ad eos placandos serio in matrimonium consensisset. Tunc enim metus non fuisset injustus in ordine ad matrimonium contrahendum. *S. Lig. n. 1049.*

### CASUS XXVII.

#### CULTUS DISPARITAS 1°.

ZEBINA, catholica, matrimonium contraxit cum ALMACHIO, hæretico, hac expressa conditione, ut proles in Religione catholica essent educandæ, juxta id quod a Summo Pontifice fuerat præscriptum in concessa dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Elapso autem triennio, cum

ZEBINA cogeretur ut prolem natam in hæreticorum doctrinis institueret, imo et ipsa hæresim amplecteretur, clam cum prole sua aufugit, et alibi cum catholico novum inivit matrimonium.

HINC :

- QUÆR. 1° *Qualis cultus disparitas matrimonium dirimat?*  
 2° *A quo dispensatio hujus impedimenti petenda sit?*  
 3° *An valeat matrimonium mixtum, si sponsi nolunt adimplere conditionem, ut omnes filii in Religione catholica educentur?*  
 4° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

999. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Cultus disparitas inter baptizatum et infidelem, matrimonium prorsus invalidum efficit; inter baptizatos autem illicitum tantum reddit. *V. Comp. n. 824. — S. Lig. n. 1044.*

1000. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus a solo Papa obtinenda est, licet agatur de impedimento impediens tantum, seu de connubio inter catholicum et hæreticam ineundo. Ecclesia enim nunquam hujusmodi dispensationem Episcopis committere voluit, ne facilius talia matrimonia celebrarentur. *V. Comp. n. 826.*

1001. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Dist.* : si agatur de matrimonio inter catholicum et infidelem, non valet; quia dispensatio est conditionalis, proinde, si conditio non acceptetur, ruit ipso facto dispensatio: si vero agatur de connubio inter catholicum et hæreticam, aut vice versa, semper erit validum. Tunc enim impedimentum ipsum est impediens tantum, et matrimonium etiam sine dispensatione est semper validum. Ergo voluntas in sponsis non adimplendi conditionem, contractum matrimoniale irritare nequit.

1002. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* ZEBINA invalide secundum matrimonium contraxit, quia primum fuit validum, et proinde indissolubile. Potuit tamen ZEBINA separari a toro et habitatione, ut salutis prolis vel suæ consulere.

### CASUS XXVIII.

#### CULTUS DISPARITAS 2°.

ONUPHRIUS, Parochus, in regione ubi catholici cum hæreticis mixte vivunt, variis rogatus matrimoniis mixtis assistit: 1° quidem matrimonio TITH et BERTÆ, qui a Summo Pontifice dispensationem obtinuerunt; 2° matrimonio CAII et CALÆ, qui, obtenta dispensatione, nolunt consentire conditioni præscriptæ, ut omnes filii in religione catholica educantur; 3° matrimonio PAULI et PAULINÆ, qui sine dispensatione contrahunt, imo et jam coram ministro hæretico contraxerunt.

HINC :

- QUÆR. 1° *An, vel quando Parochus matrimoniis mixtis assistere possit et sponso benedicere?*  
 2° *Quid ad triplicem casum?*

## SOLUTIO :

1003. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Parochus assistere potest matrimonii mixtis, si dispensatio pontificia intervenerit, et sponsi adimplere velint conditiones præscriptas, seu ut pars catholica sit in suo cultu profitendo perfecte libera, et omnes filii et filiæ in Religione catholica educeantur; sed benedictionem impertire nequit. Imo Parochus non potest assistere matrimoniis, nisi extra Ecclesiam, et omisso quolibet ritu religioso. Licet tamen Parochus intervenire nequeat matrimoniis mixtis inter catholicos et hæreticos, nisi dispensatio papalis obtenta fuerit, attamen plures Summi Pontifices id permiserunt in casu necessitatis, seu in locis hæreticorum, ubi, lex civilis id exigit. Sic *Pius VI, Pius VII, et Gregorius XVI.* — *V. Comp. n. 828 et seq.*

1004. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* — *In primo casu,* ONUPHRIUS assistere potuit matrimonio mixto, cum sponsi dispensationem pontificiam obtinuerint, et proinde omnino licitum fuerit matrimonium TITII et BERTÆ; sed assistere debuit extra Ecclesiam, ut merus testis, et a benedictione sponsorum abstinere. *S. Cong. Inquis. 20 Decemb. 1838.*

*In secundo casu,* ONUPHRIUS matrimonio intervenire non potuit, quia matrimonium illud fiebat graviter illicitum, eo ipso quod sponsi conditionem a Pontifice impositam adimplere nolebant. *S. Cong. Inquis. 17 Junii 1829.*

*In tertio casu,* a fortiori, matrimonio PAULI et PAULINÆ præsens esse non potuit, cum summopere esset illicitum; siquidem lex Ecclesiæ, tales nuptias absque dispensatione prohibens, violabatur ac contemnebatur.

## CASUS XXIX.

## LIGAMEN.

PHILIBERTUS quum pacifice in conjugio cum LÆLIA vivere non posset, uxore domi relicta, castra secutus est. Contigit autem ut, elapso uno vel altero anno, vir quidam gravis testaretur se vidisse PHILIBERTUM periculose decumbentem, nec dubitare quin mortuus esset. Alius paulo post ex eadem regione veniens declarat, se ex ore alicujus testis ocularis audivisse eum obiisse. His auditis, LÆLIA novis nuptiis inhians, testibus prædictis ad Parochum adductis, ab eo cum alio viro copulata est. Mortuo autem Parocho ejus successor, re perpensa, declaravit non satis constare de morte PHILIBERTI adeoque jussit novos conjuges ab invicem separari; quibus tamen obnitentibus indulsit ut cohabitarent quidem, sed a toro separarentur.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An prior Parochus recte egerit, LÆLIAM ad novas nuptias admittendo, aspectis quæ in casu?*

2<sup>o</sup> *An recte egerit posterior Parochus? An separandi sint conjuges prædicti sive a toro, sive ab habitatione?*

QUÆR. 3<sup>o</sup> *Si mulier mala fide contrahat, scilicet, credens maritum adhuc vivere, vel de hoc dubitans, et postea, inquisitione quacumque possibili facta, non possit rescire utrum adhuc vivat necne, poteritne debitum reddere et etiam petere?*

## SOLUTIO :

1005. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Prior Parochus non egit recte. Ratio est, quia nunquam licet Parocho intervenire matrimonio, nisi de statu libero sponsorum certo constet, et quidem scripto authentico, si res obscura videatur; et id præsertim valet, quando notum est, alterutrum jam antea vinculo ligaminis obstrictum fuisse. Debuisset saltem Parochus noster, in re adeo gravi, causam ad Episcopum deferre, velut ad judicem Ecclesiasticum. In locis ubi matrimonium civile cæremoniam religiosam præcedere debet, minor occurrit difficultas pro Parocho. Etenim, cum magistratus civilis sponso ad contractum matrimoniale admittere nequeat quin authentice ipsi constet de morte alterius conjugis, satis erit animarum Pastori si contractum civilem peractum esse noverit.

1006. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Etiam male egit posterior Parochus. Non enim separandi sunt conjuges, sed in suo connubio relinquendi. Ratio est, quia, cum matrimonii causa sit favorabilis, post factum si dubium occurrat, semper pro illius valore præsumendum est. Hoc præsertim admitti debet, quia ex separatione conjugum scandala, detrimentum filiorum, et alia gravissima incommoda sequerentur. Constat insuper ex *Jure canonico*, saltem si matrimonium bona fide contractum est, ut in nostro casu. *Cap. Dominus, de secund. nupt. — Elbel, n. 212. — Gobat, n. 306. — Lacroix, n. 413.*

1007. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Si habeat rationes vere probabiles existimandi maritum jam mortuum esse eo tempore quo secundas nuptias contraxit, debitum reddere et etiam petere poterit. Ratio est, quia ex probabilitate speculativa de valore matrimonii bene inferri potest probabilitas practica de licita redditione et petitione debiti, præsertim cum tunc de sola honestatis actione agatur. *Elbel, ibid. — Gobat, Sanchez, etc.*

2<sup>o</sup> Si vero agatur de mero dubio, sic distinguunt iidem Theologi: mulier non potest quidem debitum petere, quia non potest conscientiam suam efformare de licitate actionis; debet autem illud reddere, quia maritus, bona fide contrahendo, jus acquisivit in corpus uxoris, quo jure in mero dubio privari nequit.

## CASUS XXX.

CLANDESTINITAS 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> FLORUS, natione gallus, matrimonium contrahit clandestine in Anglia cum puella galla, quam secum duxerat, mercaturam exercendi causa.

2<sup>o</sup> FLORINUS, pariter gallus, nuptias clandestine celebrat in Anglia cum puella angla; sed licet ambo, cum paulo ante in Gallia versarentur, inten-

tione contrahendi sine Parocho sese recepissent in Angliam, ubi puella adhuc suum servaverat domicilium; attamen, matrimonio contracto, statim Galliam repetere proposuerunt.

HINC :

QUÆR. 1° *In quo consistat impedimentum clandestinitatis?*

2° *In quibusnam locis publicatum sit Decretum Concilii Tridentini circa clandestinitatem?*

3° *Quid de validitate matrimonii in utroque casu?*

SOLUTIO :

1008. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Dicitur clandestinum matrimonium quod celebratur absque præsentia Parochi et duorum testium. Matrimonium clandestinum validum erat ante *Conc. Trid.*, licet graviter illicitum. Impedimentum clandestinitatis ab ipso *Conc.* statutum est, ut constat ex *sess. 24, c. 1.* Noluit tamen Sancta Synodus ut Decretum decernens hanc irritationem vim haberet nisi post 30 dies ab illius promulgatione in unaquaque parochia. Cum autem in variis locis nunquam promulgatum fuerit, proinde nullam in illis habet efficaciam. *V. Comp. n. 836.*

1009. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Universim constare nequit. In quibusdam locis certo promulgatum est, in aliis vero minime, et in aliis res dubia jacet. Hac de re exhibemus tabellam depromptam ex opere *de matrimonio christiano a P. Perrone*, qui maxima diligentia et studio eam fusius exaravit ex authenticis documentis, ab ipso auctore accurate indicatis, *tom. 2, p. 239 et seq.*

1° IN EUROPA.

1° Publicatum est Tridentinum Decretum in Italia, in Gallia, in Hispania, in Lusitania, in Polonia, in Austria, in Silesia, in Bohemia, in Moravia, in Hungaria, in Moldavia inter catholicos, in Valachia pariter in Ecclesiis catholicis, Ulmiæ, in electoratu Coloniensi, Moguntino, Trevirensi, in diœcesi Monasteriensi, in ducatu Cliviensi, in Bavaria saltem in primitivis ejus provinciis, in Franconia, in Palatinatu Neoburgico, in Hollandia, in Zelandia, in Frisia et confœderatis provinciis, in Belgio, in ducatu Luxemburgi, in urbe Genevensi, in insula Tine Archipelagi, in toto Archipelago, in Ecclesiis catholicis Constantinopoli ac in Suburbio in Ecclesiis catholicis, in Hibernia quoad plures diœceses, in pluribus provinciis imperii Russiaci, apud Rutenos.

2° Non est publicatum in Anglia, in Scotia, in nonnullis Hiberniæ provinciis, in Borussia stricte dicta, in Pomerania, in Saxonia, in Suecia, Argentorati, in plerisque Helvetiæ provinciis, in Dania, in Norwegia, in regionibus hæreticorum et schismaticorum sub ditione Turcica, aut Persica, aliorumque infidelium.

3° Dubium vero est utrum publicatum fuerit in Valachia, in Bulgaria, Bremæ in circulo Saxoniæ. Servatur autem, licet dubie promulgatum, ab immemorabili consuetudine apud catholicos in Transilvania, in Bulgaria,

in Valachia, ita ut matrimonia catholicorum tanquam nulla habeantur, dum connubia hæreticorum et schismaticorum, sive connubia mixta, valida reputantur.

2° IN ASIA.

1010. — Decretum Trident. promulgatum est in Indiis Orientalibus, in ora Malabarica, in vicariatu Pondicerii, atque in universa ora Coromandelica, Calecutiæ, in regione Bombay, in pluribus provinciis imperii Sinensis, in Tonchino orientali, in Japonia, in Batavia, in Georgia, in locis Terræ Sanctæ nuncupatis pro Ecclesiis Latinorum, Smyrnæ in Nattolia.

2° Non fuit publicatum in vicariatu Sutchuensi, saltem usque ad annum 1803, in multis provinciis imperii Sinensis, in regionibus orientalibus ditionis Turcicæ et Persicæ, de quibus nulla mentio facta est, saltem generatim.

3° Dubium vero est pro Syria, pro insula Cypri, pro ora Malabarica sub aliquo respectu.

3° IN AFRICA.

Promulgatum fuisse videtur præfatum Decretum Tripoli in Barbaria seu Mauritania, et Algerii; non autem vigorem habet in Abyssinia. Pro cæteris regionibus desunt documenta.

4° IN AMERICA.

1011. — 1° Publicatum est Decretum Tridentini in omnibus regionibus quæ fuerunt olim sub ditione Hispaniæ et Lusitaniæ, Curaçao nominatim in Mexico, in insula Trinitatis, in Canada, in Florida, in Lovisiana superiore et inferiore, in urbe Detroitensi (Détroit), in diœcesi Quebecensi, saltem ex parte.

2° Publicatum non est in diœcesi Baltimorensi.

3° Dubium stat pro diœcesi Detroitensi (Détroit), Mechingam, pro California superiore, pro diœcesi Duebecensi in Canada superiore.

NOTA. *Benedictus XIV* declaravit matrimonia hæreticorum inter se, et matrimonia mixta, fore valida in Hollandia, absque forma ab Ecclesia præscripta. Deinde Summi Pontifices hanc declarationem, quæ primitus pro sola Hollandia data est, ad alias regiones quæ in eadem necessitate versabantur, extenderunt :

1° In Europa, ipsemet *Benedictus XIV* eam extendit ad Provincias fœderatas Belgii, postea fuit extensa et applicata Uratislaviæ, Ulmiæ, ducatu Cliviensi, Poloniæ Russiacæ ditioni subjectæ, incolis civitatis Maestricht, Constantinopoli, Hiberniæ, provinciis Rhenanis sub ditione Borussica, imperio Russiaco, Poloniæ et Ungariæ.

2° In Asia, extensa fuit Pondicerii, in Georgia, in ora Coromandelica, in Japonia, in ora Malabarica sub ditione quondam Hollandiæ, Bombay.

3° In America, in provinciis Canada, Curaçao, in insula Trinitatis, utraque Lovisiana, atque in Florida.

1012. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* In primo casu controvertitur. Probabiliter, imo *probabilius* validum est matrimonium. Ratio est, quia in Anglia non fuit receptum Tridentini Decretum; proinde matrimonia ibi clandestine

contracta sunt valida. Nec obstat lex Ecclesiæ, quæ irritat matrimonia clandestina, etiam in locis in quibus Tridentinum non est receptum, quoties peregrini eo se conferunt *in fraudem legis*, seu ad contrahendum absque solemnitate ab Ecclesia requisita. Nam, in casu, sponsi galli non se contulerunt in Angliam causa clandestine contrahendi, sed mercaturam exercendi, et ibi, data occasione, contraxerunt. Ergo minime egerunt *in fraudem legis*, seu contra Decretum Trid. *Billuart, diss. 7, art. 12, cum Gonet, Pontio et aliis, contra Sylvium et alios.*

1013. — *In secundo casu* validum est matrimonium. Ratio est, quia puella angla valide matrimonium inire potest in sua regione ubi servavit domicilium, absque assistentia Parochi. Porro sponsa sponso suo privilegium quo fruitur communicat. Ergo valide ibidem contrahunt. Nec obstat quod se contulerint e Gallia in Angliam cum intentione contrahendi sine solemnitate: nam minime egerunt *in fraudem*, siquidem jure suo usi sunt *ratione validitatis*, licet egerint *illicite et graviter* quidem. *Billuart, ibid. post Bened. XIV, de Synod. l. 6, c. 6, n. 12. — V. Comp. n. 840.*

## CASUS XXXI.

## CLANDESTINITAS 2°.

1° FLORIANUS, miles anglus, in Hispania militans, ibidem matrimonium secreto inivit cum Angla, quæ milites secuta fuerat.

2° FLORIMUNDUS pariter Anglus, iter agens per Galliam cum puella angla, eadem Parisiis clandestine in uxorem ducit.

3° FLORIBERTUS et DOROTHEA clandestine contraxerunt tempore magnæ perturbationis gallicanæ, ne coram Parocho intruso contraherent.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid de validitate et liceitate matrimonii in primo casu?*

2° *Quid in secundo casu?*

3° *Quid in tertio casu?*

SOLUTIO :

1014. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Invalidum est matrimonium *in primo casu*. Etenim, etiamsi non ageretur de lege communi Ecclesiæ, sed de lege particulari loci, servari deberet ab omnibus domicilium vel quasi-domicilium ibidem habentibus. Atqui præfati sponsi quasi-domicilium habent in Hispania, propter diuturnam commorationem in eodem loco, ut in casu supponitur. Ergo tenentur lege Tridentini circa clandestinitatem in Hispania vigente. Ergo, clandestine contrahendo, invalide contrahunt. Quid vero, si quasi-domicilium in loco non acquisiverint? Tunc casus in sequentem recidet.

1015. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Invalidum quoque est matrimonium *in secundo casu*. Ratio est, quia peregrini saltem quoad solemnitatem contractuum tenentur ad leges locorum per quæ transeunt. Ergo, si in contractu non servetur forma in loco præscripta, contractus non subsistit. Atqui, in casu,

sponsi peregrini non servarunt formam solemnem contractus matrimonialis in tota Gallia vigentem. Ergo valide non contraxerunt matrimonium. *Ita S. Lig. n. 1080. — P. Perrone, de Matrimonio christiano, t. 2, sect. 1, c. 6, art. 4, post Schmalzgrueber, Pirring, etc.*

Præterea lex Ecclesiæ, præscribens formam solemnem matrimonii, est lex generalis, quæ ex Statuto Trident. efficaciam non habet in aliquibus locis in quibus non fuit publicata. Atqui omnes peregrini subijci debent legibus Ecclesiæ communibus quæ vigent in loco ubi degunt, licet non vigeant in eorum patria, et ipsi transeundo tantum ibi reperiantur. Ergo, etc. Porro lex prohibens clandestinitatem est lex Ecclesiæ generalis et territorialis, quamvis Tridentinum noluerit eam absolute in omni loco urgere, quin ibi publicata fuerit. Ergo peregrini contrahentes matrimonium, prætermissa legis præscriptione, invalide contrahunt. Plerique Theologi docent matrimonium sic contractum irritum esse, fatente *Carrière*, qui tamen tenet *probabilius* illud validum esse. *P.* autem *Perrone*, in opere citato, multas decisiones congerit ad invaliditatem invicte demonstrandam.

1016. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* Validum est matrimonium *in tertio casu*, si recursus ad proprium Parochum, vel ad Episcopum haberi non potuerit. Recte autem egerunt sponsi Parochum intrusum non requirendo, cum omni jurisdictione destitutus esset, et insuper declinandus ut schismaticus.

## CASUS XXXII.

## MATRIMONIA HÆRETICORUM 1°.

DACIANUS et PRISCA, hæretici, matrimonium contrahunt coram ministro protestante, sed, paucis post annis, ambo feliciter ad Fidem catholicam convertuntur. Dubitat autem loci Parochus, an eorum matrimonium solemniter renovari debeat.

HINC :

QUÆR. 1° *An valida sint matrimonia clandestina hæreticorum, in locis ubi viget Decretum Tridentinum?*

2° *Quid speciatim de hæreticis in Gallia degentibus?*

3° *An conjuges ad Fidem conversi consensum coram Parocho et testibus renovare debeant?*

SOLUTIO :

1017. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* *Controvertitur* inter Theologos. Videtur tamen omnino negandum ob sequentes rationes.

1° Lex Tridentina lata est in omnes christianos, seu in omnes qui subiacent jurisdictioni Ecclesiæ, absque ulla distinctione. Ergo lata est in hæreticos, sicut in catholicos, cum Ecclesiæ jurisdictioni subiaceant. Ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; insuper hæretici secus commodum ex sua iniquitate reportarent. Ergo matrimonia hæreticorum inita contra irritantem Tridentini præscriptionem prorsus invalida sunt.